



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Mirabilis Vita Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar Vallisoletanæ

Deprompta ex ijs, quæ ipsamet jussu Patrum suorum Spiritualium
consignavit

Vitæ Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar. Pars Prima

Puente, Luis de la

Pragæ, 1672

Caput 27. Quomodo viderit Christum Dominum in sacra Hostia, in varijs
admirabilissimis figuris, & quâ ratione super omnia æstimaverit vivam
Fidem hujus Mysterij, atq[ue] principalem fructum ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38580

do & arte illic existeret Persona Regia, quia dum illam intueretur & cognosceret, ita sese occultabat, ut unâ existimaret, eam à se non videri. Durante eo spectaculo, vidi infinitos Angelos, cum magna admiratione & reverentia adorantes illud sacrum mysterium, ac Divinam Sapientiam, & Potentiam DEI Domini nostri, qui talia mysteria est operatus pro sua infinita bonitate, & amore, quo amavit hominem. Subito inceperunt ex eodem Domino erumpere ac prodire radij Divini splendoris, qui ita se extenderunt, ut cum pertingerent ad meum pectus & animam, totus hic Dominus eam intimè penetraverit, seque illi impresserit in eadem specie, in qua ipsum extra me videram: atque biduo vel triduo semper ipsum intuebar intrâ me taliter existentem. Post unam horam adfuit tempus sacræ Communionis, quâ peractâ, vidi Majestatem Christi Domini intrâ meâmet animam, in illa Hostia consecrata. Non erat ibi constriictus, neque parvus, sed magnus, & in sua statura gloriosa, non occupando locum, quem videtur alioquin requirere ipsius magna Majestas. Dum simul contemplerer intra me hunc Dominum dictis duobus admirandis modis exi-

stentem, mea anima vehementer affligebatur, ac timebat, & amplectebatur veritatem nostræ Fidei de Divino Sacramento, dicebatque: Hic existit meus DEUS, ipsum ego sumpsi sacramentaliter, sicut me docet Fides: & conabar me distrahere, ac avertere oculos à mysterio, quamvis mihi id parùm prodesset. Cùm Dominus animadverteret illum meum timorem, dixit mihi: Marina, magnopere times, verum ita perge, & esto certa, quòd, si taliter timerent animæ, non circumvenirentur tot illusionibus, uti fit. Post longum deinde tempus mihi dixit Divina Majestas quàm amantissimè: Agè Marina, cessent jam tui timores ac turbationes, non enim habes, quod timeas. Dic, quare turberis? ideone, quòd me videas in tua anima duobus miris modis existentem? Et nonne me vidisti aliàs extra te ipsam, tuâ opinione, etiam duobus admirandis modis, ut dum tibi manifestavi Beatissimam Trinitatem, & vidisti tres Divinas Personas, unâque me DEUM ac Hominem verum in mea specie gloriosa. Cùm ita fit, cur tantopere times? Hoc audito, fui inter-nè pacata, egique ipsi gratias pro tantis misericordijs.

CAPUT XXVII.

Quomodo viderit Christum Dominum in Sacra Hostia, in varijs admirabilissimis figuris, & quâ ratione super omnia æstimaverit vivam Fidem hujus Mysterij atque principalem fructum Communionis.



Alias visiones habuit admirabilissimas, dum se illi Christus Dominus præbuit spectandum in sacra Hostia, varijs in figuris & speciebus, quas propterea assumebat.

§. I.

In primis in Sacrificio Missæ habuit multas visiones, tamen bene sibi esset præsens quando erit audienda ex præcepto, die Festo, adeo ut pro viribus conaretur ad illam

attendere, ne penitus à sensibus alienaretur, id, quod illi Dominus concedebat.

Quodam die Quadragesimæ, inquit, eo tempore, quo elevabatur consecrata Hostia, vidi Christum Dominum exhibentem in suo Divino vultu indicia gravis tristitiae ac doloris, ita verò vivacissimè demonstrabat magnam afflictionem, quam ipsius anima senserat illis diebus proximis sacræ ejus Passionis, dum animo revolveret tantæ tormenta, quæ tunc erat passurus pro nostris peccatis. Et verò erat vultus tam lamentabilis, ut præ commiseratione, ad quam

quam movebat, cor dirumperet. Sed alio die, dum attolleretur sacra Hostia, ostendit mihi in illa Dominus, modo Divino, expressa ac designata mysteria & gesta sacrae suae Passionis, adeo ut clarissime representarent dolores Salvatoris. Dum essem intenta huic spectaculo, vidi ex illa imagine, quae erat in Hostia, procedentem quandam virtutem, & radios, suis cuspidibus ferientes mei cordis medium, & animae, quam reddebant participem bonorum ac thesaurorum, quos Christus Dominus acquisiuit his doloribus ac tormentis: id quod ego vehementer sum mirata, exarsique idcirco Divino Amore cum tanta vi affectuivm, ut mysticè, non sine acri dolore fuerim ab Amore Divino vulnerata, ac transverberata, forti quodam clavo, qui cor meum confixit.

Alias mihi dixerat DEUS, quod mihi esset manifestaturus arcana suae Justitiae, atque dum aliquando manè essem collecta, vidi calicem ex auro conflatum & argento purissimo, cui imminebat sacra Hostia, & quamvis illam aspicerem, non poteram intelligere, qualis esset: quia partim apparebat instar candidae & elegantissimae nubeculae, partim verò eadem nubecula, ita suavissimo & vehementissimo, ac efficacissimo igne ardebat, ut videretur tota, in ignem illum esse transmutata. Subito autem elevatis oculis, vidi circa eam sublimes in aere Angelos, qui ipsam aspiciebant cum magna reverentia & attentione, obstupefacti ac attoniti, & conficiebāt quoddam quasi tabernaculum, aureo cooperatum tegumento, elegantissimè exornato, ex cuius quibusdam partibus prodibant velut igneae linguae, imminentes illi calici, & superpositae Hostiae. Circumspexi deinde, & vidi juxta sanctum istum Calicem Christum Dominum, suā solitā conspicuū gravitate & majestate, qui aspiciebat dictum calicem, & superpositam ipsi Hostiam. Atque dum contemplerer omnia ista mysteria, vehementer obstupescens, & nescirem, quid significarent, dixit mihi Dominus: Attolle oculos, & aspice, quia plura tibi supersunt videnda. Elevatis igi-

tur oculis animae usque ad Caelum, vidi Majestatem DEI Omnipotentis, cujus Divina Justitia quodammodo irascebatur, terribiles intentans minas quibusdam populis, qui erant obstricti gravibus peccatis, & miserabiles, quorum miseriam ego agnoscebam. Vehementer dolebam & affligebar; atque tunc mihi Christus Dominus aperuit significationem horum omnium, dicens, mysterio illius sacrae Hostiae superpositae calici, significari pretiosum, ipsius sanguinem, qui profusus tanto cum amore & misericordia pro peccatoribus, clamat ac intercedit semper pro illis apud Divinam Justitiam. Atque hic, *ajebat*, sacratissimus sanguis, unaque Divinum Corpus oblatum quotidie in sancto Missae Sacrificio, est tantae virtutis & valoris, ut propter ipsum ignosceatur peccatoribus, ac tolerentur populi, qui mererentur destrui propter sua enormia peccata. Quibus auditis, dixi ad Dominum cum lachrymis, & magno dolore: Quid ergo Domine mi, & Dilecte animae meae, jubet Tua Majestas me facere? aut quid petit à me, postquam mihi ostendit haec mysteria? Respondit mihi Divina Majestas: Nè te affligas: Setas tibi id à me esse ostensum, ut ores pro his afflictis, atque in necessitate constitutis populis, quos vidisti. Et cum animo revolverem magnitudinem Divinae Justitiae, quam non videbam amplius, respondi: Sacratissime mi Domine, quid poterit vili vermiculus terrae facere, aut obtinere ab illa suprema Celsitudine & Majestate nostrae DEI ac Domini? Noveris, *ajebat Dominus*, Orationes Fidelium, quae peraguntur in charitate, & gratia DEI, quam acceperunt à me, & propter quam sunt grati & accepti Aeterno Patri, multum valere, & multum prodesse, propter amorè, quo DEUS ipsos complectitur, & ex quo dignatur illis gratificari, ac implere eorum bona desideria, & voluntatem in eo, quod ab ipso petunt. Hoc dicto abiit Dominus, & ego vehementer compatiebar illis desolatis populis, rogando perpetuò Divinam Majestatem, ut eorum misereretur, atque praeterea novā & speciali devotione

ferebar erga sanctum Sacrificium Missæ, adeò ut per multos dies post, nunquam potuerim satiari audiendis Missis.

Hinc etiam proveniebat ingens aviditas, quâ desiderabat videre sacram Hostiam, quando elevabatur tempore Missæ.

Quadam vice, inquit, cum essem in Templo Domus Professæ, acclinato capite, propter meam debilitatem, ad primam murum arcus Sacelli Beatæ Virginis Laurentianæ, adeò ut alter murus mihi tolleret conspectum summi Altaris, ubi tunc dicebatur Missa, dum pulsaretur campanula, quæ pulsari consuevit, quando elevatur sacra Hostia, dixi ad Dominum: Ah mi Domine, non possum te hic videre, & vix me possum erigere. Tunc mihi Dominus respondit: Manè hic, quia hic me videbis; & ecce cum elevaretur Hostia sacra, contempsi illam oculis animæ, atque Christum Dominum inde ubi sedebam, quod me affecit solatio, reddiditque pacatam, & liberavit ab omni turbatione, quam antea habueram.

§. II.

Appropinquante Festo Corporis Christi, postquam fuisset valde afflictus, aliquot diebus, dixit mihi Dominus quam amantissimè: Consolabor te speciali visitatione in Festo, quod celebratis ob memoriam Instituti Sacramenti Corporis mei & Sanguinis. Hæc promissio mihi attulit solatium, & expectabam ut impleteretur, jam enim sciebam id velle DEUM. Festum autem non fuit celebratum nisi post duos menses, & quinque diebus antè vidi in oratione oculis animæ, Christum Dominum sedentem in valde pretiosa sella, ac vestitum sumptuosissimâ & elegantissimâ togâ talari, quantumcunq; autem illam aspexerim, nunquam potui intelligere, qualis esset, sed videbatur esse ex pretiosissima purpura. Facies Domini ita resplendebat, ut illum non potuerim intueri, & circa ipsum stabant multi Angeli, quos tamen non aspexi, siquidem totus animæ obtutus erat intentus contemplan- do Domino, & quia illum necdum eo mo-

do videram, dixi: Mi Domine, quid est hoc? Quare tua Majestas sic est ornata? Propter Festum, inquit, quod celebratis, mei Corporis & Sanguinis, ut intelligatis, esse mihi gratum, ac placere. Et qualis est, aiebam ego, Domine hæc toga, tam sumptuosa, ac elegans? Respondit mihi Divina Majestas: Hæc toga representat ac significat gloriam æternam, & virtutes meæ Humanitatis; unde non est mirum, quòd nequeas intelligere ipsius colores & pretium. Hoc dicto, Dominus à me abiit, & ego mirabar id, quod videram; sed in Festo sanctissimi Sacramenti iterum promissis, quo mihi ter quaterve comparuit in Hostia consecrata, cum illo splendore, & eâ veste pretiosa, in qua illum videram ante quinque dies, in mea collectione; & dum ipsum contemplerer tantâ præditum majestate, abripiabatur ab illo mea anima, gaudens, quòd ipsum videret coli, & honorari, atque glorificari à suis creaturis, videbaturque mihi illum semper conspicerere oculis animæ, in illa specie, per totam octavam, & interdum mihi loquebatur, pandebatque sua arcana.

§. III.

Alio anno, in generali supplicatione, quæ eo die instituitur Vallisolei, manè vidi intrâ Hierothecam Eucharisticam in sacra Hostia Christum Dominum, indutum veste candidâ pretiosissimâ, totâ elaboratâ opere Phrygio, & exornatâ purissimo auro, ac pretiosissimis lapidibus. Ibat pedes, manibus aliquantum elevatis, & ab invicem sejunctis, cum magna gravitate, & majestate. Licet autem Hierotheca esset exigua, erat tamen & habebat in eo locum sacratissimum ipsius Corpus totum, illius staturæ, quam Divina Majestas habet, & qualem ordinariè video competentem ætati triginta ac trium annorum: circumdabatur ab Angelis, qui erant induti candidis vestibus, & progrediebantur aliquantum ab illo remoti, cum summa veneratione. Videns igitur ego meum Dominum in medio suarum cælestium & ter-

restrium creaturarū adeò ab omnibus honorari, adeoque suā propriā abundantem gloriā ac maiestate, affluebam summo gaudio, toto tempore, quo duravit ea visio, itā ut nullius possem tunc alterius rei meminisse.

Hoc modo ipsum spectavi sex septē mve vicibus intrā istam Octavam in supplicationibus; & quodam die, dum sacrum Ferulum, finitā supplicatione, esset repositū ad Altare, coniectis oculis in sanctissimum Sacramentum, vidi Majestatem Christi Domini, sicut illam videre consuevi: verū sacratissimus ipsius vultus erat quasi accensus, & inflammatus, eum in modum, quo gravis aliqua Persona & prudens, peracto quopiam exercitio corporali, se ostenderet nonnihil fatigatam: demonstrabat tamen etiam in suo vultu tantam auctoritatem, imperium, & potentiam, ut mirarer. Consternata hac novitate, dixi illi, quamvis me summè puderet istius alloquij: Mi Domine, & Dilecte animæ meæ, unde provenit hæc fatigatio quam præ te fers, cum in tua sacratissima Persona non habeat, nec possit habere locum lassitudo, vel labor? Respondit Divina Majestas: Exhibui me talem, ut videres, quomodo tui causā fatigatus fuerim, cum viverem in terra, sciresque me tunc fuisse solitum fatigari, tanquam verum Hominem. Postea Sacerdos accessit exempturus ex Hierotheca sacram Hostiam, neque sinè magna difficultate illam eximebat, eò quòd valde arète esset conclusa, eratque mirum visu, quòd etiam si Sacerdos multum moveret Hostiam, Christus tamen Dominus in ea specie, in qua ego ipsum ibi videbam, non moveretur, sed semper maneret quietus, summa cum serenitate, & gravitate; atque eodem modo, quando incedebat in humeris Sacerdotum, tempore supplicationis, non se movebat ex una parte ad alteram, sed continuè procedebat æquabiliter, cum magna maiestate. Dum autem viderem præsentē hoc Domino quosdam colloquentes de rebus tametsi inculpabilibus, & incuriam, cum qua nonnulli versabantur coram tam Excelso Monarcha, vi-

deremque Divinam Majestatem tacentē, ac omnia dissimulantem, quasi non videret, vel non audiret, quæ agerentur vel dicerentur, consternabar eā bonitate, patientiā, & mansuetudine, quam demonstrabat, eaque ratione agendi cum suis creaturis, & quòd se itā permetteret ab illis tractari: siquidem se Christus Dominus, erga omnes illos, eo, & incomparabiliter benigniore gerebat modo, quo magnus aliquis, sapiens ac potens, & clemens, inprimisque affabilis Dominus, ex mera sua bonitate toleraret suos famulos, quos singulariter amaret, atque licet ab ipsis videret inadvertenter & inconsideratè committi errores, se præsentē, illos tamen dissimularet, ac præferret eos à se ignorari, seque nihil audire, nè castigaret delinquentes.

Alio præterea anno, in una harum Processionum, vidi Christum Dominum intrā sacram Hostiam, tanquam Regem pretiosissimā redimitum coronā, indutum splendidissimā vestitu Regio: comitabantur illum, serviebantque ipsi plurimi Angeli, ac Spiritus Beati; sed ij, qui ipsum videbantur gestare quasi in humeris, & à quibus se permittebat bajulari, erant homines, quod ego haud parum admirans, dixi illi: Itāne se tua Majestas tradit hominibus? seque dignatur committere eorum manibus? sicine Domine, cum tibi inferviant, teq; comitentur Angeli, te tradis hominibus, & in eorum collocas manibus? Respondit Dominus: Itā me trado, volòq; me illis tradere in cibum & escam, ut hac ratione vivant vitā Divinā, transformenturque in me. Propterea enim veni in mundum, ut eos quærerem ac redimerem, ideoque me ipsis quā libentissimè donare volo. Finitā supplicatione, Sacerdotes reposuerunt Dominum, cum magna reverentia, in sacro Tabernaculo: sed quia itā eram incensa, & absorpta eo, quòd videram ac audiveram, dixi, nesciens quid dicerem, ut mihi in hujusmodi rebus solet accidere, siquidem mihi ipse Dominus suggerit verba: Domine mi, & Dilecte animæ meæ, nonne Tua Majestas venit fatigata?

tigata? Respondit mihi: Non, Amica, sed venio omnino indefessus. Itane, ajebam ego, indefessus & contentus? sed exiguo nostro comitatu, qui sumus tuæ pauperes creaturæ. Tum Dominus dixit, quod me magno affecit solatio: Anima, plus valent, mihi que placent, sine comparatione, pauci boni, & pauperes, quam multi divites hujus mundi: quia priores me delectant, recreant, mihi que satisfaciunt, & in ipsis conquiesco: posteriores autem me molestant, mihi que vehementer displicent. Hi namque sunt picti Gigantes, quos videris efformatos pro solennitate meæ Processionis, qui apparent magni, robusti, pulchri, & elegantes, ac adornati, cum tamen sint nihil, paxilli, bractea, ac falsum sericum, careantque vigore ac vitâ. Quibus verbis auditis, valde fui confusa, & istis sum compassa, illis vero gratulata.

§. IV.

Non omittam tamen monere, quod, licet iste visiones essent tam estimabiles, cor ipsius fuerit longe magis intentum Regiæ ac vere presentie, quàm Christus Dominus existit in Sanctissimo Sacramento, quod nos docet Fides: in hac enim nequit vel umbra requiri fallacia. Ut id confirmem, dicam, quod ipsi contigit, dum quidam Pater Societatis diceret Sacrum pro illa communicanda in ipsius Omtorio. (Anno 1617.) Vidi, inquit, venientem ex caelo Christum Dominum cum magna majestate, qui se incorporavit cum Sacerdote, sicut solet ignis penetrare ferum, impositum ustrinæ, adeo ut cum aspicerem Sacerdotem, viderem in ipso Christum Dominum. Talis erat, donec veniret ad porrigendam mihi sacram Hostiam, non absque magna consternatione, ac timore meo, propter novitatem hujus visionis. Communicavi autem quietè, vehementerque gaudens, quod haberem intrâ me Christum Dominum, & dixi: Hoc utique est certum, ac securum, & sunt veritates fidei, cui non potest subesse deceptio. Respondit vero Dominus: Quamvis ita se res habeat, est nihilominus etiam,

quidquid ego dico & facio, indubitanter verum: sum enim ipsa veritas. Tunc vidi Christum Dominum intrâ me tantâ majestate mihi exhibentem suam Omnipotentiam, ut idcirco magnopere timerim, fuerimque attonita, sicut si aliqua fornicula esset apud pedes Gigantis, à quo posset conculcari.

Magis mystica fuit alia revelatio, in qua ipsi una manifestavit Christus Dominus fructum & effectum principalem Communionis esse, quod DEUS inhabitet animam in hac vita, & in aeterna per magnam unionem amoris.

In Octobri anni 1622. postquam, ait, suscepissem à Domino extraordinarias misericordias, per varias apparitiones, dum communicarem cum meis timoribus, dixi ad Dominum: Saltèm, Domine, hoc est infallibile, quod me docet fides, te hic existere. Divina Majestas mihi respondit: Ità, verum est, sed etiam veræ sunt gratiæ, quas tibi confero. Et postquam communicavissem, vidi intrâ me Christum JESUM Dominum Nostrum, in illa specie, in qua ipsum sumpleram, cum tanta claritate, & certitudine, ut viderer mihi non amplius credere illud mysterium, quod mihi videbar intueri, quamvis Fides nunquam imminuatur. Tunc mihi dixit Dominus: Anima, Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Post quod dictum mihi fuit representatum intrâ me totum mysterium Sanctissimæ Trinitatis, adeo ut illud viderim, & clarè agnoverim, quantum in hac vita mortali DEUS se solet manifestare, & vidi, quod Divinus ille Dominus fabricaverit intrâ meam animam quandam habitationem ac domum, quam incolebat tota Beatissima Trinitas stabilissimè, & in eo denique conclavi collocabatur quædam grandis mensa, epulum vero, quod in ea proponebatur, erat ipse DEUS, & Essentia Divina, atque Gloria Domini, qui me invitavit ad eam Divinam Cœnam Agni. Ego me humi prostravi, non audens accedere: sed fui ab eo coacta, ut denique illam adiverim. Collocavi me fle-

xis genibus ad eam mensam, & Dominus ab illa assurrexit, meque spiritualiter communicavit. Tota fui absorpta, quòd viderem tale mysterium, & quando sum ad me reversa, reperi me cum meo Domino, sicut antea.

CAPUT XXVIII.

Quomodo illi Christus Dominus ostenderit solennitates & processiones, quas Beati celebrant in Cælo, ob honorem Sanctissimi Sacramenti, & modum quo celebrantur.



Cum Venembris Marina tantis cumularetur gratijs a DEO, in supplicationibus Sanctissimi Sacramenti, quando propter suas continuas infirmitates illis non potuit interesse, voluit ipsam ejusdem Majestas recreare eo tempore, representando illi Processiones, quæ in celo mysticè ab Angelis celebrantur, & Beatis, gaudentibus propter beneficium, quo sunt fructi, & nos fruimur in mundo. Hoc ipsi dixerunt sancti Angeli, illi cohabitantes, quos in quadam Vigilia Corporis Christi (anno 1617.) Vidi, ait, exornatos elegantissimis monilibus, quæ erant confecta ex pretiosis lapidibus diversorum colorum, in quorum singulis erat quasi impressum modo quodam mirabili aliquod mysterium Christi Domini, in hoc Incarnatio, in illo Nativitas, atque ita reliqua in alijs. Dum id mirarer, dixerunt mihi: Nos sumus tanquam ephebi Regis cœlestis; & sicut Reges solent dare, quibusdam suis specialiter dilectis ephebis aliquid ex suo vestitu, ita Rex noster nobis dedit hæc vestimenta, quæ vides. Conster tibi hoc vespere inchoari magnam solennitatem in Cælo, propter singularissimam misericordiam, quam DEUS hominibus exhibet, manendo cum ipsis in sanctissimo Sacramento; & in Beatissimam Virginem Dominam nostram redundare magnum honorem in hoc festo, eò quòd fuerit Arca, in qua fuit clausus Filius DEI, factusque est homo, idem ipse, qui existit in sanctissimo Sacramento. Tum subito inceperunt magnificè de prædicare Beatissimam

Virginem, atque ipsius Immunitatem à peccato, jam inde ab ejus Conceptione, ac deinceps per totam vitam, assumptisque suis instrumentis musicis cecinerunt divinè.

§. I.

IN Festo Sanctissimi Sacramenti (in Martio anni 1622.) mei Domini Angeli mihi cohabitantes, me duxerunt in spiritu ad cœlestem Jerosolymam, & præsentaverunt DEO Domino nostro Trino & Uni, ubi mihi Divina Majestas dignata est ostendere clarissimè mysterium sanctissimæ Trinitatis sub certa specie, & figura, & in medio illius Divini pectoris, modo quodam admirabili, vidi mysterium Sanctissimi Sacramenti Altaris. Paulo post cor-spexi sanctum Archangelum Michaëlem, indutum pretiosa veste gloriæ. Habebat is in suis manibus vexillum eorundem colorum, & in ipsius apice Crucem ex pretiosissimo auro, atque in illa designatam Hostiam, quæ erat Figura hujus Divini Sacramenti, videbaturque esse in ea Dominus. Hoc modo sanctus Archangelus, cum cœmitatu multorum Angelorum, similiter vestitorum, dulciterque concinentium, circumibat totam illam Patriam cœlestè, & per viam erant utrinque Ordines Angelorum prostratorum in pavimento illius Cœli, qui quàm humillimè adorabant illum Dominum, & sanctus Archangelus utrinque tangebatur Angelos vexillo. Finitâ hac Processione, Sanctus Archangelus Michaël constitit coram Beatissima Trinitate, ibique in Cælo inclinavit hastam vexilli,